DE IMPERIO GANGLIORUM
IN ŒCONOMIA ANIMALI
ORATIO
HABITA

In Nosocomij Melitensis Gymnasio, pro Sollemni Accademiarum Medicarum, Studiorumque Anatomicorum, & Chirurgicorum Recursu, die x. *Januarii* MDCCLXXVI.

A

GEORGIO LOCANO D. M.

Accademiæ Regiæ Scientiarum Monspelliensis Socio, Anatomes, & Chirurgiæ Professore Primario, Collegiique Medicorum Melitensis Præside, &c. &c. &c.



MELITÆ, MDCCLXXVI.

In Palatio, & ex Typograph. C. S. S. Apud Fr. Joan. Mallia ejus Typogr.)(Sup. Licen.

Profani ſunt, qui nihil eſſe putant, niſi id quod manibus palpant . . . .

PLAT.

Non eſt, cur deſperemus de invenienda utilitate partium etiam ſingularium, etiam ſubtiliſſimarum.

HALLER diſput. Anatom.

SERENISSIMO DOMINO

FRAT. EMMANUEL DE ROHAN

SACRI ORDINIS HJEROSOLYMITANI MAGNO MAGISTRO, INSULARUM MELITÆ, ET GAUDISII PRINCIPI.

SERENISSIME PRINCEPS

IN hominum genere nulla melior eſt natura, quàm eorum, qui ſe natos ad homines juvandos, tutandos, conſervandos arbitrantur. Hanc Tuus in Tuo Animo prænovit nupèr Inclitus Ordo, qui universâ non minùs,

nùs, ac inauditâ, & faustissimâ acclamatione sibi MAGNUM MAGISTRUM, *populo* PRINCIPEM *elegit, Scientiarum, virtutum cultorem, dotibusque omnibus Pietatis Religionis, majorum cultûs, morum Politiæ, Amabilitatis, Facilitatis, quasi per traducem propagatis, instructum.*

Tantùm heroicarum qualitatum apud omnes potuit commendatio, ut quod fervidè optavimus, insolitâ felicitate adepti sumus.

Precoci hisce de causis te omnes exceperunt gaudio, summô verò, qui Orationem hanc tanquàm perpetuum humillimi obsequij monumentum offert.

SERENISSIME PRINCEPS

Subjectissimus, & Fidelissimus Servus
Georgius Locano.

De

DE IMPERIO GANGLIORUM
IN ÆCONOMIA ANIMALI
ORATIO.

TALIS adorando Altiſſimi Conſilio Animalis Æconomiæ facta eſt legum inſtitutio, ut ad motum, & ſenſum præſtandum in omni parte Nervi concurrant, conveniant, conſentiant, filorum ad inſtàr à Cerebro, Cerebello, utrâque medulla naſcentium, in omnia diſſeminatorum loca, ubi ſenſibilitèr contingentium, ubi Senſus, & Dioptrices aciem fugientium, quorum vita, ſaluſque illis integris viget, fractis verò languet, evaneſcit.

Tenerrimâ, ſed Celluloſâ armati vaginâ, intùs halituoſâ, & goſſipinâ, Veſſiculari extùs, & in aëre diffluente, ſub artificiis Anatomicis utrâque exolvendâ, funibus conſtituuntur medullaribus Nervi, nitentis fabricæ ſimilitudine gaudentes in homine, Regnoque omni Animali, nec Inſectis exceptis.

Hi vel durâ præterea complectuntur meninge, ut in optico conſpicuum fit (ZINN), vel eâdem deſtituuntur, ut magnus teſtatur Sympaticus per foramen internæ Carotidi deſtinatum migrans (PETIT) ferè ſempèr attamèn arteriolis comitantur, veniſque, modò mucoſum indumentum penetrantibus, modò in ſpatiola obambulantibus fibrarum; eò intereà pactò, ut remotis ab invicem in itinere fibris ad vitæ rivulos diverſis partibus concedendos, in ſummæ arcis minima ſanguifera jus ſuum brevi oſtendunt, quamvis diverſimodè, etiam propè originem, in quam mirò nonnumquàm diſſeminantur modo memoratæ Arteriolæ ad ſanguinem vehendum motibus, & nutritioni deſtinatum.

Quod porrò in Homine, & Quadrupedibus non diſſimilitèr comperti ſunt magni viri in elaſtico fine ob celluloſa fila inſenſibilitèr retracto teſte Cl.° KINNEIRO, & in Inſectis ob bronchia immiſta teſte Egregio LYONETT.

Quibus ſanè conditionibus animalitatis miniſteria cuncta perſolvi negabit nemo, etiam qui Cl. PORTERFIELD experimentis, computationibuſque, fide præſtita, fibram retinæ in homine eſſe cenſeat, craſſitie 32400es. tenuiori, quàm capillus, in minori Animali 1. 166.

400es. minori, (HALLER); imo potius nuperrimis TEICHMEYERI periculis, in tractu intestinali Nervorum ope adtracto, decurtato, & pondere insimùl elevante liquet, per hasce medullares Cordulas, tenerascentes eundo, harmoniæ vitalis miracula omnia, exoriri, sustineri, & ab Anatomicis tamquàm Omnipotentis digiti beneficia considerari, venerari.

Laboribus quandoquidèm Nevrologistarum colligitur, mille modis partes progredi, & expatiari personatos Nervos, modò amissa in initio veste, modò in itinere; modò in accessu, & confusa, obscuraque penetratione; immutabili verùm consilio, & inimitabili arte, ut equilibritatem videlicèt circulationis propagent, protegant, aùt sensus constantiam servent, defendant, unde functiones vitæ oriuntur, invitantur, adjuvantur, motuum perindè, concentuumve prodigia tueantur, suis unicuique villo servatis juribus Elasticitatis Animalis (PRESSAVIN, LORRY,) suo canaliculis servato permeabilitatis ordine, suâ capillaribus servata sugendi vi, suâ Musculis servata relaxationis, constrictionis, & requiei potestate. (JOURNAL ÆCONOMIQ 1756.).

Rerum Physiologicarum hoc caput est meditari, neque sub alia, aut meliori conditione genuinæ obtineri possunt elaborationum fluidorum, & firmitudinum solidorum, quæ hactenùs desiderantur, rationes, per quas mira ulteriùs semper evadit, adorandaque Naturæ sagacitas in ordinandis, dirigendisque Anthljis, & machinulis, in mutandis angulis atque distantiis, in applicandis viribus, & cavendis decrementis, unde commodiùs arcentur resistentiæ, removentur pressiones, superantur pondera, moderantur impulsus, quibus cautè, & perennitèr providendum erat viribus inertiæ, & antagonisticis, etiàm ad remotissimas partes non sine salutari fine erectis, sævam, quæ reddunt hominis vitam, miserrimamque luctam.

Nervi profectò sunt, & Nerveæ fibræ, licèt mollissima Corpora, atque flaccida, unde sensuum impressiones resultant, musculorum contractilitates perficiuntur, annexorumque obsequia dependent, quibus continuò suffocandis pressiones conveniunt viciniorum, & duriorum, ponderosorumque extremorum Corporum potestates, nisi nervis continuò paritèr superarentur, quasi supremâ industriâ fabrefactæ fistulæ, industriam machinamentorum omnium regendo firmant, firmando dirigunt, dirigendo perficiunt, perficiendo vivificant, vitamque tandèm spirando, hominem vivum sanumque retinent, sustinent.

Non

Non est quod quisquam dicat, hactenus recensita de Nervis, Nervorumque motrice, sentienteve potestate, fidem superare.

Præter siquidem magna GALENI, BARTOLINI, STUARTY, BOERAVE nomina, unde tales per fidelissima pericula orbi medico meliùs innotescunt veritates.

Præter, inquam, observata Cl. SCHAAFIY, HEVERMANNI, KAWV, LE CAT, HILARY, GODARTY, quibus facilè intelligitur, Nervum esse filum vitæ.

Ulteriora idem probant experimenta a WILLISIO, VIEUSSENSIO, ALBINO, RYDLEYO, SWCWENKE, MONRÒO exactissimè instituta, undè liquet, ligatis, pressis, sectisque Nervis aboliri motum, destrui sensum, nulla superstite in cæca pulpa papillari, in quam Nervorum resolvuntur fines, nullâ prorsus activitate, sive ad elevationem promptitudine, ad secretiones, & sensuum exercitia opportuna (DE RIET,) quia interruptus est auræ vitalis ab Organo morali ad partes accessus, melius dixissem, beatam Lucis usuram.

Nonne ab ictu Cubiti manus, digitique stupent, & aliquandiù ita alteratur tactus, uti post capitis concussionem visum fuit (LA MOTTE,) ut Corpora exin quasi per velum tanguntur?

Nonne a Gelatinoso tumore in Nervi Cubitalis centro, stupor in partibus, ad quas ejusdem progrediuntur rami? (CHESELDEN.)

Nonne a resectis Nervis opticis, cæcitas instantanea? (*observ. nostr. in Milite anno* 1752.)

Nonne Nervo nono ligato linguæ stupor, & gustus abolitio? (VALSALVA.)

Nonne tertio quinti paris ramo prope tragi Glandulam combusto, odontalgia superata? (RITCH, TRONCHIN, LOUIS, DEHAËN.)

Nonne ad vitandum intercostalium musculorum stuporem, & vitæ in adjacentibus deperditionem, ob intercostalium Nervorum comprehensionem in ligatura arteriæ intercostalis acu Goulardianâ facta, vinculo præferenda est Machina a LOTTERIO excogitata (MEMOIR. DE L'ACCAD. DE CHIRURG TOM. 2.)

Nisi intelligerem quam scopuloso, difficilique observationum verser examine, varia, gravioraque supèr hac re recenserem argumenta, omnibus confirmata sæculis (ACCAD. MATRIT. ANN. 1752.) novis in æternum, sed invariabilibus effectibus, signanda periculis (DESHAIS.)

Eo intereà pacto, ut ex perenni causa perennis paritèr expectandus

dus ſtupor, & inſenſibilitas (SAUVAGES,) interruptâ verò renaſcitur ſenſus, & cum ſenſu motus (ACCADEM GOTTINGENS.)

Quia profectò firmiſſimæ obſtet veritati multiplex obſervatio circa dolores vividos poſt amputatos artus perceptos, (LA MOTTE, PALUCCI, SCHOBINGER) non minùs conſuetudini tribuendos (ACRELLIUS,) ac impetum facientis errori (KAU, PAXTON,) ſeù meliùs Nervorum cum arteria reſecta ſtrictorum oſcillatione, tremuloque motu, (LAMORIER.)

Dictis ulteriùs convenit indubium BELLINI experimentum in Diaphragmatico Nervo, a Cl. FERREINIO novâ inſtitutum induſtriâ, unde procul dubiò nata Doct. MARTIN Theoria circa expiratoriam ſepti depreſſionem ob urſum phrenicum a poſtica pulmonum facie, aëre turgentium (ACCAD. EDIMBURG.)

Virium igitur omnium, & potentiarum reconditus eſt cumulus ſiyſtema Nervoſum; Hôc organicæ moleculæ ad ſe invicem tendunt, attrahuntur, retinentur. Hôc punctum ſalit, dilatatur, conſtringitur. Hôc conceptus evolvitur, augetur, perficitur. Hôc partus exagitatur, urgetur, abſolvitur. Hôc fœtus reſpirat, lactatur, exoneratur. Hôc pubertas manifeſtatur, æſtuat, amat. Hôc vita paſcitur, ducitur, decurrit. Hôc longevitas obtinetur, reficitur, allicitur.

Saluberrimo naturæ ſcopo convenit profectò materies hæc, Nervos quæ in circulum Harvejano ſimilem percurrit (BERTIN), ignis ad inſtar, omnium fortè in rerum natura motuum auctoris (LA CAZE.)

Hæc ſanè, undè oriatur, habens (BARTOLINI, SPALANZANI, ACCAD. TOLOSAN. 1748.) medullarem ſubſtantiam perambulans, & in mucoſo-reſinoſam ſpontè rapta (DE LA SERVE,) tàm in truncis, quàm in ramis, tàm in ramuſculis, quàm in expanſa papilla poteſtatem ſervat ſenſum propagandi, & motum ciendi validiſſimè; quamvis nulla in ligatis Nervis, & medullaribus fiſtulis intumeſcentia ſuperveniat (MALPIGHI,) vel microſcopio detegenda, (ACTA PARISINA, POWER) plantarum mollium caulis ligati exemplo (LINNÆUS, HALLER CONTRA DEDU.)

Huicce verò medullæ licet potentiſſimum Nervorum fluidum magnetica propenſione adhæreat, Hellianis Annulis (ACTA VIENNENS. 1775.), & *Winckleriania*, periculis recentiſſimè comprobata (DE LA FOLLIÉ, JOURN DE MEDECIN. AOUST. 1775.) incredibili tamèn celeritate, eâ quæ ſuperat rapidiſſimam radiorum ſoni tranſmiſſionem (DESA-

GUIL-

GUILIERS,) canaliculos infinitè parvos, dioptricaque fugientes artificia permeat, exemplo ab atro magnete non dissimili, qui licèt juxta laminam ferream mirabilitèr adhæreat, velocissimè tamèn juxtà eamdem movetur (LEMONIER, BOZE.)

Incredibiles, nulloque commensurandæ calculo non obstant distantiæ; majora non obstant intervalla, quia Nervi subtilissimam fulguris continent materiam (ACCADEM. DYONENS.) commotione muschembroekianâ indice, cælestem ferè, subtilemque magis è parvis constantem figuris, quam ignis è lignis ortus.

Membranæ non obstant humidiores, aut textus cribrosi, spatiola replentes medullarium fibrarum, quæ circumvestiunt, comitantur, relaxant, mille daturæ sanitatis commoda: Sive etenim accensionibus fortè impetuosioribus similes opponuntur conditiones, tempestatum pluviosarum ergà accensa fulmina exemplo; sivè mirô naturæ instituto, ut deflagrationes obnormes caveantur in partibus, in quibus obsequium humectatione servari debet, quia erigi debent papillæ pro excitando sensu (HEISTER, BARTHEZ, KUSTNER) etiàm in partibus è vivo Animali detractis, quandò antè irritabilitatis excitationem sensus promovetur confusus, quemadmodùm in elapso colo vini applicatione, quidquam simile observavit Vir Summus LEIDENFROST.

Quæ si negare velimus, nullâ conciliarentur ratione, solidarum partium elateria Nervoso fluido adaucta (POMME, TISSOT,) nec attractiones Globulorum rubrorum, è vena viventis inciso mesenterio prodeuntium (REMUS, SPALANZANI,) ferreis, cæteri sanguinis ad exemplum, constantium particulis (GALEACCIUS, MENGHINUS, ACCADEM. BONONIENS; PERNETTI,) æquo marte in orificio pugnantium (ACCADEM. GOTTINGENS.) & sub machina ignivoma metallicas edentium scintillas (GRAY, WINCKLER, BOISSIER,) quasi in humano Corpore etiam ex igni cæco consurgit flamma (DUTOUR,) vitale nempè lumen in Beatificatione electrica manifestum (BOZE.)

Sub hoc fervido axi revolvitur Vegetatio, Nutritio, Regeneratio, Vita, (PRYDONE,) Nervis penetrantibus simplicissimas partes, quæ aliàs continuò in fragilitatem, decrementum, extinctionem, pulverem tenderent, nisi Nervorum, electrique vi impetum faciens exurgeret, triunphumque ageret.

O vis, tot elementa conjungens, tot fibras constituens, tot ductus referans, tot fluida movens, tot motus suadens, ut tutricem

jurares, ne minimas in partes resolvantur cuncta, in fœtidum mutaturque homo, frigidumve liquamen!

O vis, quâ omnia conficiuntur, adunantur, penetrantur, distinguuntur, humoresque capiunt, cohibent, trasmittunt, ut motricem jurares; unde cumulati, & inattenuati succi emendantur; recessus, flexus, diametros, capacitates vasorum jam diù mutantes, iracundas moventes oscillationes, ordinem, & pacem equilibraminis perturbantes!

O vis sensus, motusque sibi comparans cunctos, robustiores quæ reddit musculos agendo (ORAT. pro apertura Schol. anni præcedentis,) ut jurares Auctorem irritabilitatis, & sensibilitatis, non uberrimos tantùm, sed juges, sed perennes vitæ recludentem fontes!

O vis vitalia urgens, ut anthliam jurares saluberrimam, cuncta in Circulum moventem, lumina replentem omnia, ut nullis læsa injuriis evadat Machina, crudelique sit major fato!

O vis Arterias exercens, ut rectricem jurares pro casuum exigentia, altitudinum describendarum, affrictuum superandorum, velocitatum promovendarum, impensarum reparandarum, quasi eâdem preside omnia debitâ agunt proportione, & uniformitate.

Nesciunt intereà humani ingenii limites artificia reperire, ut propriis per fidelitatem vitrorum sensibus, cavitates percipiant in Nervis. Ast tubulosâ potiùs formâ opes præstituros tantas esse Nervos, quam cordarum normâ tensarum, pratèr cætera apud Eruditissimum HALLERUM Uberrimum Physilogorum fontem, argumenta; Poliposorum, & Glutinosorum Animalium celerrimi testantur motus musculares (BONNET,) Nervis tribuendi nullâ tensione, elasticitate nullâ munus executuris suum, ut in Polipis plurium specierum (ACT. ANGLICAN; DE GEER, BŒCH, TREMBLEY, SPALANZANI) maximè illius, quam vocant Polypum Campanulatum integerrimum, proliferum, subcylindricum, ore setis obvelato, gallis *Rose de jerico* (ACTA STOKOLM. 1746.)

Obesse non latet, impossibilem penicillorum divisionem, propaginum inconstantiam, filorum multitudinem, obscuram origionem, obscuriorem finem.

Obesse non latet, tantas Angulorum diversitates, profundas penetrationes, longissima itinera, evanescentes terminos.

Tantas in Philosophiæ sæculo vereor angustias, observationum fortè multiplicium aliquo modo mitigandas fælicitate.

Hæc

Hæc erant insuper prædicenda, quia perarò Nervi ex utraque familia reperiuntur, magnæ in quibus non occurrant varietates, & insolitæ conditiones, quæ si in truncis deficiant, in ramis sese offerunt affinibus.

Liquent, quæ assero ex variabilibus filamentorum olfactoriorum vaginis, è quibus vix liberata adeò indurescunt (BERTIN.)

Accendunt, quæ ab Diligentissimo SANTORINI recensentur, circà fibras thalamis Nervorum opticorum a naribus accedentes, potiùs quàm a centro gemino semicirculari, ut notaverat CL. MATTHEI.

Nec dissimilis est artis infelicitas, quæ emanat ab obscura quarti origine mox simplici, mox duplici (WINSLOW;) maximè cum jam orto, relictis confestim testibus, modò unicam accedentem fibrillam vidit MORGAGNI, modo duplicem RUISCHIUS, modo triplicem SANTORINI laudatus.

Et quod notatu dignius est, dum licèt super sinum petrosum, & receptaculum migrat gracilissima quarta hæc conjugatio (COWPER,) transversamve Carotidis arteriæ plagam permeat (ALBIN; SWEDBORG) constantique non obstante in cruore immersione, a cruore tamèn non adluitur; imò ad rimam laceram properans (RIDLEY) in orbitam deniquè exit, solitô Nervis candore, nisi copiosior adipis portio circumstet, obstet (ZINN, WAGNER, MAFFE.)

Hâcce idcircò prerogativa, à simpliciori sexsto, ictu oculi distinguunt Anatomici, quod dum in laterale Sellæ turcicæ receptaculum penetrat (LIEUTAUD, MORGAGNI,) sive sanguine adluitur ejusdem truncus, ut proindè orbitam ingressus, sepultâ in adipe pulpâ rubicundum amittit colorem (CAMPER, BERTRANDI;) sivè obortum filamentum alterum Petitianum, ad cor usque constantem, indelebilemque servat ruborem (SENNAC, HALLER) Carotidem sequuturum in specu ossea (PAIFYN,) etiam dum crassescit cum intercostali confluens (EUSTACHIUS, BERGEN:) Quæ quidèm conditio nequitèr a textu repetenda est muccoso illuc affluente, (WINSFLOW,) aut a propinqua Carotide (COLLINS;) & sanè minùs ab accedentibus, replicantibusque arteriolis, quibus simplex Nervi ramus expoliatus, eumdem retinet colorem (HALLER, ACTA BEROLIN.) quandò etiàm Insulam constituit Eustachianam, duplicem a MECKELIO visam (MONRÒO.)

Non insolito Anatomicis candore, similes, aliasque innumeras, maximè in octavo pari, fateor Nervorum varietates, & Nevrologiæ arca-

 na

na in quibus verò nihil ſine cauſa, nihil fruſtra, nihil temerarium, ſupervacaneum nihil, ſed omnia tantâ condita ſunt ſapientiâ, ut non tantùm eadem meliùs conſtrui nullo modo poterant, ſed etiàm ſine voce monſtrant in minima parte latere DEUM.

Iiſdem porrò varietatum Nervoſarum exercitiis, mirabiliter fabrefacta, atque liberè agens univerſi Corporis, punctorum ad inſtar circuli, (HYPPOCRATES,) conſpiratio emergit; quæ licèt primo intuitu Nervos ita ludentes, alienos demonſtrat a naturæ ſcopo, inſtrumenta tamen ſanitatis miracula meliùs dicam creationis eſſe, multigena comprobat experientia, partibus cum proſpiciant non diſpari fine; licet aliæ ſunt quæ recipiunt, & detinent; aliæ quæ movent, & motum ſervant incolumem; aliæ quæ ſugunt, & excernunt; aliæ quæ ferunt, & calefaciunt; aliæ quæ cogunt, & mutant; aliæ quæ abſorbent, & temperant; aliæ quæ elaborant, & exalant; aliæ quæ fervent, & putrefaciunt, aliæ quæ dividunt, & variis exultant irriguæ ſuccis, ſaluberrimum undique implentes inſtitutum, in nulla alterutrius partis præſurgente reſiſtentia, & in prevertendis turbis unicè occupatum. (CL. ROBINET.)

Iiſdem non opponitur operibus, quæ oculi nulla poſſunt ratione videre, admirabilem inter ſe vim edentibus, varius Nervorum ad partes acceſſus, vel quandò longiori filo, meningibus concomitantibus perioſtea penetrant (BERTIN, DUHAMEL, BOETTICHER,) & pericondria (WALTHER, WEITHBRECHT,) vel quando craſſæ ad inſtar medullaris pulpæ dilatantur, evaneſcunt (KLUG, COMMER. LITTER. NORIMBERG.)

Similia ſunt beneficia, quæ in Humano Corpore præſtant electricâ turgentes poteſtate, affabrè in unum aptati opus variabiles quinti paris Nervi, Maſſetericus nempè, Temporalis, Lingualis, Palatinus, Pterigoideus, Ophtalmicus, Maxillaris ſuperior, Auricularis, Alveolaris, Dentalis, & maximè ubi in ſinum Higmori poſtremus conſtantiſſimè diſſeminatur (SCAARSCHMIDT, SABATIER.) Imo notatu digna ſunt alia beneficia, quæ præſtat ſplanchnicus HALLERI a ſympatico magno in pectore migrans, lanciſianâ intumeſcens inſulâ, quia a ſeptimo intercoſtali vero novis radicibus reparatur; quive porrò, ut pinxit inventor EUSTACHIUS, & imitati ſunt SCHMIEDEL, & STUKELEY, conſcenſis Vertebrarum corporibus, demùm uno trunco inter Diaphragmatis caput intimum, & proximum (SENNAC) ad abdomen paritèr exit, aliàs tamen per intervallum fibrarum primæ appendicis (LI-

EUTA-

EUTAUD, HALLER, MONRÒO) penetrat, & iterùm aliàs communem cum ttunco sympatico viam sequitur, ac cum vena sine pari, atque aorta (LANCISI, WINSLOW.)

Sanè non opponuntur tractiones validæ appensorum organorum, ut in hepatico plexu (BARBAUT;) aut retrogradationes, ut in Nervo Cardiaco a semilunari (HUNAULT, GEVIGLIAN,) aut contorsiones variæ in Cochlea manifestæ (DUVERNEY, CUTUGNO, ESTEVE.) Non pressiones viciniorum, ut in ramo Laringeo Octavi Paris (VIEUSSENS,) in descendente Noni Winslowiano (MORGAGNI COWPER,) in artubus Superioribus WINSLOW,) & in visceribus præcipuè abdominis (WILLIS, MONRÒO.) Et quod mirabile est, complicationes non opponuntur ingentes, quæ in collo superiori primæ efformant spinales conjugationes (DUVERNEY, ASCHE,) ac in interiori pelvi sacri accedentes octavo pari, & magno sympatico (WINSLOW, EUSTACHIUS,) Meteorismum, & Gangrenam eò faciliùs inducturi, si inconsultò nimis secentur, aut lacerantur, ut nupèr absque extracto calculo in lythotomia evenit, quantò numerosiores sunt fontes in copiosa Cellulari Phlogiston deponentes ob putrefacta vicinia magis accensum, Phosphoricumque.

Quamvis verò hæc omnia cernere non potis est animus, non est tamen propterea, ubi similia supponuntur obstacula, quod non mirabitur, insigni Nervorum potestate, unde in Humano Corpore boni fons omnis, & omnis lucis origo, exerceri motus, perfici sensum, notitiam ubiquè utilitatis indicantibus Nervis, utilitatemque ipsam, quia Fluidum ducunt Amphibium (MEMOIRES DEL' ACCADEM. DE BERLIN, QUESTIONS SUR L' ENCICLOP.)

Sique dissita videatur vis, quæ a Cerebro venit, vel ad Organum circumvehitur morale, in toto tamen itinere invisa penetrat foramina, ad partesve dispergitur quasque minutas, quasi reconflatis per sensum hoc modo membris, una manus totum regit artificium, nervi nempe, & magicum Nervorum Electrum, genitalis unde rerum est origo; Vitæ quod primum gustat amorem; Omnibus in Organis principium, quod constituit vitale.

Vix ac nevix quidem interest idcircò in varijs partibus majori vel minori laqueo, & pressione sustinendæ destinatos esse, dispositosque Nervos, & Organa in quæ disseminantur. In nonnullis quidem locis sensibilitatem designant conspicuam, quam alias abscondunt (WIT-

THT

THT, FABRI, CIGNA, ZIMERMANN), majori minorique circumvestiente mucosi textûs substantiâ (VENEL, BORDEU), relativè ad necessarium stimuli gradum, subjectique sensibilitatem (LAGHI, ALBERGHETTI, LORRY, PONTICELLI).

Non obstat, crassiores aliquando, quibus vestiuntur Vaginæ (RADNICSKY) vel substantiæ etiam Musculares, ut in Cruralium Musculorum tertio (ALBINUS, DOUGLAS) unde paralelli Nervi sibi adcumbentes, illorum defensione, retractione, elevatione, elevantur, retrahuntur, defenduntur (CANT, BAVER).

Certè his etiam suppositis sensibilitatem servant relativam, exemplis ab HOUSTETO, ET VERMALEO adductis in incisæ Corneæ Davelliana plaga, aut Acu Brisseavianâ compuncta, quæ licèt facta in tunica Epidermidi propiori, & ungui, nullique Incisorum Nervulum exibente (ZINN), sensum omnino nullum producit (KEPHALIDES), nisi insimul irritetur iris (MULLER), stimulum manifestat tamen in excitatis tussi, vomitu, & singultu (CHESELDEN, MORGAGNI).

Non obstat tandèm mollities ramorum ex duro trunco proficiscentium (GOELICHE), sive propaginum consistentia superior trunci duritie, (SCHNEIDER) quando videlicet per intima ossa decurrunt, vel compactam subeunt ligamentorum fabricam, Capsularum, Cartillaginum, (HYPPOCRATI) Nervis similem (SWIETEN, CASTELL, PETRINI).

Accuratius profectò inquirendo in hæc omnia, in teneris, liquet, regnare miracula villis, ingentemque vim illis exurgere, non est qui inficias iverit, Pontentissimum Conditorem adoraturus.

II.

Hactenus de præcipuis Nervorum, Cerebri ad instar insipidorum (BORRICH, HARTLEY) viribus, & varietatibus utilissimis; e quibus quidem non distat, Gibbosorum exemplô (PLATNER), consensus partium nimius, & optabile equilibramentum; imo idem conspicuum magis fieri, nemo non fatetur, per ea, quæ ex solo Nervorum imperio in arterias mihi magnus comprobavit ALBERTUS HALLER, aliaque quam plurima a (KAWIO, CAMUS, LEIDENFROST, BARTHEZ) designata, conditionibus cunctis Æconomiæ satisfactura, maximè ad calorem excitandum (ELLIS, CLEGHORN, HOME, LININGS, LEWIS) & consensum sustinendum, ut in visceribus abdominis ob lumbales ramos (DURET, DE HAEEN).

In Nervis uno verbo est promptitudo ad sensus exercendos celeri-

ri-

ritas ad motus incitandos, vis ad irritabilitatem, & ſenſibilitatem ſervandam, libertas ad vitæ beneficium reſtituendum, quorum quidèm ſuffragiis quàcumque ſpoliatâ parte, nèc Cerebro, Cerebello, Medullis, unde oriuntur, exceptis, in terram terra convertitur.

Quod ſi hæc, & plurima, a WITTHIO, SLEVOGT, & BAVER inter cæteros magni nominis Viros laudata poſſunt Nervi, & Nervorum Trunci, horumce imò ramificationes ſivè ſolitariæ, ſivè plexuoſæ, ſivè molles, ſivè duræ, ſivè breves, ſivè longiores, ſivè ſimplices, ſivè compoſitæ, ſivè nudæ, ſivè tectæ, ſivè deſcendentes, ſivè aſcendentes, ſivè precipuæ, ſivè acceſſoriæ, quis majora non prævidet à Gangliis commoda, utilitates, majuſque fatalibus vinculis firmamentum?

Licet porrò ad vitandum Lanciſſianum errorem, corda non ſint ergà Nervos peculiaria hujuſmodi Ganglia, Carneâ, quæ deſtituuntur Tunricâ, ſolâque veſtiuntur non rarò rubellâ, exhalabilique Cellulari, è locis mutuatâ, quæ commune dât involucrum viſceribus, vaſibus, & organis hiſce fabrefactis.

Licet porrò ad vitandum errorem Hazonianum, & Enciclopedicorum, preſſionum, & tractionum non ſunt poſtuma partûs ſoboles; in partibus nata Ganglia, ubi preſſio locum non habet, neque tractio.

Cerebra tamèn ſunt inſulæ hujuſmodi medullares vaſis inſtructæ, & membranulis preſſo hydrargiro ſplendentibus, & colorato ſpiritu vini variegatis, (INTER EXPERIM. MEA ANNI 1751.) ubi quidèm Nervi denuò dividuntur, & concurrunt, mutant directionem, robuſtiorique induntur tunicâ, tutelæ perpetuò traditi noſtræ.

Et quemadmodum mirum, quod funiculum accipiens unum, funiculos procreat plurimos, ut in Ganglio ophtalmico (ZINN), ita *mirum*, quod villos miſcens plurimos, unicum producit truncum; ut in ſupremo Cervicali (LANCISI, MONRÒO), novos exindè generantem Nervos, nova Nervorum filamenta, novos filamentorum plexus, novas plexuum tendiculas, novas tendicularum vaginas, novas vaginarum anſulas, nova anſularum Ganglia, concordiam organis conciliantia, viribuſque robora, manifeſtò exemplô tenſi epigaſtrici, & flexæ ſpinæ in acutiori ſenſuum externorum exercitio (PRESSAVIN, LA CAZE) ob communionem Cervicalium, & Coſtalium propaginum cum octavo pari, & Sympatico magno.

A FALLOPPIJ ævo ad noſtra uſque tempora vanas eſſe ſcio præparationes pro indaganda intimiori Gangliorum fabrica inſtitutas, nullam-

lamve in illis filorum Nervoſorum integram obtineri poſſe continuationem, idque non ſolum intèr illos, qui accedunt ad Capſulam, ſed etiam inter illos, qui a Capſula ſecedunt laxa, cellulofa, graciliſſima, & aquosè pellucente (MONROO).

Nil potuit ſectio, nihil maceratio, nihil inflatio, nihil exſiccatio, meliori fortè poſterorum felicitati opus committendum, atquè induſtriæ.

Verùm hæc non indè impediunt, ſummæ in Æconomia Animali utilitatis eſſe Ganglia, breviorem languido quæ parant viam electro, longiorem quæ impetuoſiori, partim ſuffocatis in duriori, humidiorique nodo velocitatibus, & impreſſionibus, pulpoſam Nervorum medullam amantibus, multiplici magni ſympatici exemplo, ſed Halleriano preſertim, qui Nervus cum tot Gangliis interpoletur; ſed pauca numero, quot ſunt Vertebræ, totiès cauſam natura repetiit, quæ impreſſionem imò Nervi, quâ a Corde remotior eſt, efficacitèr ſuffocet; Idem certò huic Nervo fiet, quod Cordæ, cui 24. tenaciſſimorum filororum glomera circumligaveris.

Cui non diſplicet Phænomena meditari in illis paſſim manifeſta partibus, ubi Cerebrales obambulant Nervi Gangliis ornati, vel medullæ vertebralis ſimilibus intumeſcentiis ex utroque latere prodeuntes, occurrit illicò ſapiens naturæ conſilium in intercipienda, moderandaque, Gangliorum ſubſidio, Electricæ flammæ rapiditate, vel eâdem ulreriori motu provocanda, tàm viciniorum perenni, & alterna concuſſione, ut in ganglio ſemilunari dextro, antequàm ad cæliacam accedat (WINSLOW, COWPER,) tàm colore exinde nato, ut in Gangliis Spinæ dorſalibus (EUSTACHIUS MONRÒO,) tùm æterei copia fluidi Gangliis per funiculos accedentis, ſive a viſceribus phlogiſticum vaporem exalantibus, (KAW, GORTER,) ſive ab organis, quibus eſt vis Alkalino-Volatilem fumum elicere, & extricare tam a fluidis, quam a ſolidis, putrefactionis poteſtate (FOUQUET, CLERC, HOME.). Similia ſunt quæ occurrunt in digeſtione, & abdominis ſecretionibus plurimis, ut inhalationem ſileam a craſſis inteſtinis, caverniſve valvuloſis Colon in portarum venam pro amaritie bili concedenda, quæ porrò nullo pacto differt a materie phlogiſtica, & diverſimodè combinata, cui vix admovetur lucens candela, flamma illico concipitur ardentiſſima, (PRIHESTLEY, BOERARWE, MORAND.)

Quæ cum ita ſint, vitæ ſpatium Gangliis circumſcriptum, nemo non videt, & incolumitatis ſortem Gangliorum Nervoſorum integritate.

Aſt

Aſt quia non omnibus ætatibus omnia conveniunt, majore hoc eodem conſilio temporis progreſſu contrahunt conſiſtentiam, compacturam Ganglia; variam perindè Nervorum fluido parant elaborationem, diſtributionem, graviſſimis ſemper Æconomiæ negotjis comparatam.

Sivè etenim in Nervo quinto, ejuſque ſecundo ramo cum ſexto conveniente in fiſſura Sphenopalatina (EUSTACHIUS, PALFIN), ut conſpicuior magni Sympatici conſtituatur ſubſtantia (PETIT), imo in tertia ejuſdem conjugationis propagine (BERGEN) nodulorum Nervoſorum perpendatur utilitas.

Sivè *Meckeliani* Ganglii (MEMOIR. DE BERLIN t. 7.) in ramulo molli *Vidiani* canalis hoſpite (BERTIN, SABATIER) ſcrutetur munus.

Ad meliùs ſuſtinendum conſenſum partium, hujuſmodi videntur directa Ganglia, conſtantiſſimè manifeſta (WINSLOW, BERRETTINI), novos parantia angulos orituris Nervis, exactiſſimè reſpondentes ſingulis partium operibus, univerſo machinæ equilibramini.

Nevè defactò ſua recto ordini deficiat conſtantia, firmas inter funiculos Nerveos Ganglia conſtituentes, ſed ſimpliciſſimas obſervavit tunicas poſt FALLOPPIUM ſolertiſſimus ZINN, arteriolaſque ita directas, quæ perpetuò repletæ, immutatoque ob exilitatem loco (ACTA GŒTTINGENS) intaminatas Nervorum directiones ſervant, viamque naturæ legibus conſentientem defendunt, aut vagantem emendant.

Non omnibus hæc conceſſa ſunt partibus, ſed ſuper reliquas partes ſolis Gangliis, quibus veluti tot Dedaleæ machinæ impenetratilibus meandris, ut alteræ viribus partes refulgeant, fulgurent, vires dedit aptas ſalutis AUCTOR, & conſumator DEUS.

Argumenti vulgata non eſt veritas, ſincera tamen eſt obſervationum vox apud LANCISIUM, WANEMS, LAMURE, MONRÒO, defœcato judicio, quæ reddit virum in Phyſiologicis ſolertem, in practicis ſagaciſſimum.

Redeamus ad viam. Recenſitarum utilitatum ſive alterutram, ſive plures, mucoſis ſpiramentis circumdatus, ſitus teſtatur Mekeliani Ganglii, (MEMOIR. DE BERLIN), ramulo lingualis trunculi quinti paris pertinentis; Qui porro craſſiuſculus Nervus trans pterigoideum prodeuns (BERRETTINI) cum maxillari propagine non rarò conjungitur, Gangliumque efformat, ſurculos mittens reticulatos interſperſis arteriis (WILLIS, COSCHWITZ), & ad WARTHONI glandulam, ad eamdem ſublingualem, ad Genioglоſſum, ad fidam obtinendum tandem nonæ

næ conjugationis amicitiæ pignus, propterea quod tandem inter diſtinctam linguæ carnem ad grandiores papillas (BELLINI), luculentis perveniat anaſtomoſibus (WINSLOW, VERDIER, SANTORINI).

Eumdem oſtendit finem in univerſam humani Corporis Æconomiam, Hallerianum Ganglion, Auriculari quinti paris ramo (*auditif interne* PETIT) pertinens, ſurculum ad meatum auditorium dimittens (HOLDER, KULM, SALTZMANN), cum ſecundo Cervicis inoſculatum, (PYL, FABRICIUS), numeroſos flavos folliculos (WEDEL) complectens, eò ſenſiliſſimam reddens extenuatam Cutim (ACTA PETROPOLITAN.), qui porrò, ut cætera ſileam munera, cum meatu auditorio harmonicè conſentiens (NICOLAI, ACCADEM. BURDIGALENS, WALTHER), Helicis excitat actionem, Tragi, Antitragi, Anthelicis, Scaphæ, Conchæ, Parotidis (VALSALVA, TEICHMEJER), ad quas pariter ramoſus pulcherrimè diſpergitur (CASSEBOHM, DUVERNEY, KUHN)

Mollibus, Albis, Succulentiſque Gangliis, nec excepto ophtalmico (ZINN, MOELLER, ACTA STOKOLMIENS.), neque inſulis binis ad ſextam pertinentibus conjugationem (ALBINUS, HALLER, MONROO,) Conſpectus non eſt unus, nec eadem moles, neque pondus idem; Color non omnibus unus; Ubi tenuiora pergunt, ubi craſſiora, ubi figura varia, ubi conſiſtentiâ diſſimili; Non id indè tamen eſt, quod mutuâ non conveniant lege, ut omnimodis poſſit concordia gigni.

Fædera idcircò eadem ſervat, rubro maculatum ſtigmate (OBSERV. NOSTR. ANNO 1773.) Gangliolum Huberianum paris Octavi ſurculorum ſoboles; Quod porrò poſtquam Nervis dat ortum plurimis Stylopharingeo, Geniopharingeo, Milopharingeo, Gloſſopharingeo diſtributis, plexus denuò admittit, inſulam præfinientes albam, inæqualem (HALLER,) cum magno conjunctam ſympatico, cum naturæ conjunctam conſilio, quod in harmonia conſiſtit, qualem concepit primævo lumine Numen.

Invariabilia ſunt officia, quæ preſtat tam argenteum octavi Paris Ganglium a WIVISIO, WIEUSSENSIO, MANGETO memoratum, prope arcum aortæ perpetuo contingens (GAUTIER, SENNAC) ramumque majuſculum Laringi concedens (WINSLOW, MORGAGNI) ubi conſumptum deſinit; Tam pariter alterum roſaecum inter occiput, & Atlantem, a radicibus primæ Cervicis conſtitutum (HASCE, MONRÒO), ex quo natus trunculus biſidus, non ſolum obliquos, rectoſque poſteriores capitis muſculos, complexum imò, rectumque laterale regit

(HAL-

(HALLER), ſed jura pariter dat arteriæ Vertebrali (HUBER, MORGAGNI, WILLIS), muſculoque recto majori, minori, imo deſcendenti ramo noni paris (WINSLOW, BERRETTINI), in cujus viciniora in magnum Ganglion, adipe refertum perindè convertitur, deſinitque WATHER, WINSLOW).

Hiſce ſanitatis fontibus ex diverſo ſitu, & actione corporis, modò mota, modo preſſa, modo ſtricta, modo laxata, modo agitata accedunt lateralia ſpinalium conjugationum Ganglia, unde versùs exteriores appoſitas potentias, interioraque viſcera totidem emergunt, graciliorefque radiculæ, (EUSTACHIUS, HUBER), quæ viciſſim ligamentorum ad inſtar diſponuntur, ſuperiùs, inferiuſque inter laterales protuberantias miſſis novis Nervulis, nedùm ad firmandam ſpinalium Gangliorum ſeriem, ſed etiàm ad fœdera plurima cum magno ſympatico teſtanda, conſpirantibus, quem irrequietum hoc pacto conficiunt, ut ſcilicet præter organi moralis jura, intra ultimos locorum receſſus ad caudam equinam uſquè ſpinalis medullæ portentoſa experiatur vis, numeroſiorum Gangliorum auxilio expleta. Venit igitùr in apertum quantùm imperij ex ditiſſimo theſauro Nervoſorum ſpinæ glomeraminum accedit in functiones omnes, ſolidis ſociantium operam fluidorum, in fluidis excitantium niſum ſolidorum, verbo ſaluberrimum concentum, Artificem veneraturum ubique propinquum.

Plura hic locus eſt, ut dicam de Spinalium Gangliorum forma, numero, nexubus, uſu, maximè quia pluribus in Animalibus varietates illorum occurrunt innumeræ, (SPALANZANI) Erucæ exemplo, tredecim Ganglia ſemibifida exhibentis (LYONET, HALLER,) nec non Ganglii dilatabilis in optico Sepiæ (SWAMERDAM, MEM. DE L' ACCAD. DES SCIENC. DE MONTPELLIER), quæ tamen omnia ſilentio premere magis conſonum putavi, de Humanis Gangliis unicè verba facturus.

Propterea quod errandi periculum non patitur Phyſiologus, majorem Æconomiæ partem, & numeroſiores nevropatiæ leges a Gangliis exitatas, qui cenſebit, ad Nervum Sympaticum maximum, ſuaque vincula preſertim pertinentibus.

Conſulatur defacto primum cervicale, quod FALLOPPIUS duplicatum vidit, vaſculis thyrojdeis, & pharingeis coloratum, vitæ germina in eo condita, nemo brevi negabit, modo tamèn ſcrutatur præcipuas ramificationes, quas vèl tres vidit CL. ANDERSCH, modò ſequentes Carotidem plexus (EUSTACHIUS, LANCISI), Gangliolo altero

ro miliari interstinctis (HALLER), modò propagines ab octavo pari irretitas, inquè Glandulam tyroideam absumptas, (MORGAGNI, WINSLOW), modò tandèm ramum insignem Cardiacum superiorem, a Laringeo octavi paris Nervo (LIEUTAUD, ANDRESCH) nobis duplicem anno 1773. Ex quo profectò surculi constantèr emergentes Glandulæ Tyroideæ, & Hyotyroideo musculo distribuuntur (SANTORINI, EUSTACHIUS, VIEUSSENS); Quo insupèr duce sursùm contra Cerebrum cum Carotide producto (MONRÒO, BERGEN), licèt fine obscuro, inter cæteras functiones consensum gignere motuum Cordis cùm motibus Cerebri (LAMURE), vel saltèm favere, nihil repugnat, in summum quin imò hoc pacto nos cogit beneficium venerari, persolvere.

Quod si deinceps tot surculos, tot plexus, tot tricas e Cervicali Ganglio medio prodeuntes intueamur; maximè quando duplex, ab HALLERO visum, ad sextam, & septimam Vertebram incumbens, phrenicum Willisianum surculum constituit, alibi ansas, & Nervulos, laqueos, & plexus ad Cor (WINSLOW, LANCISI), ad Anastomoses recurrentis trunci (BERGEN, PETIT), ad Vertebralem arteriam, venamque sociam, (MORGAGNI, NICHOLSS), ad Subclaviam (HEISTER, WINSLOW), ad inferiùs Ganglium providè mittens (LANCISI, VIEUSSENS), novum sempèr equipondii genus mirari convenit, unissonamque armoniam.

Invariabilia sunt auxilia, ac benefacta quæ Æconomia experitur Animalis ab infimo Cervicalium Ganglio, quod perpetuò globosum, unicum tamèn diversis in Cadaveribus natura manifestavit inter WALTERI manus, & *Præsul.* LANCISI, subque cultello EUSTACHI, & WINSLOWI. Quod si meis comparatum liceat observationibus, a vulgariori magnorum Virorum, cogit deflectere sententia; Propterea quod nobis constantissimè visum fuit à Spinalibus Cervicis 5, 6, 7; & 8, primoquè dorsalium potius ortum, quam a magno sympatico, quibus similiter radicibus plurima pertinere videntur consperfa illùc Gangliola (MONRÒO), conjugationibus confecta Spinalibus, nitido ligata aspectu; Inter quæ Princeps memoratum Ganglion præcipuis vitæ organis Cordi, & pulmonibus, truncisq. emergentibus (SENNAC, ENCYCLOPED.) dans jura, unum sustinet, amat, vitam, salutem.

Sub eodem conspirationis saluberrimæ aspectu contemplanda sunt, tum WINSLOWIANA Ganglia, Nervorum singulo inter costas decurrenti nascentia, (SABATIER, TANARONI), tum magna Ganglia se-

ſemilunaria cum ſuis Gangliolis (SCHIEMEDER , HALLER), tum renalia tandem, ex quibus, relictis Phrenicis, Gaſtricis, Hepaticis, Ciſticis, Lienaribus, Pancreaticis, Capſularibus propaginibus, ſaltem majuſculis, tantum quæ poſſunt in funtionibus Epigaſtricorum viſcerum, & Diaphragmatis, id unum animadvertere in animo fuit, plurimos illa plexus conficere, & anſulas, ſenſibus obvias, novis Gangliis interceptas, aortam ſtringentes, cœliacam, meſentericam, (WINSLOW , MONRÒO, LIEUTAUD), undè promovendorum diſtribuendorumque fluidorum regimen, eo rectiùs perſolvendum, quantò ex organo morali ad illa Ganglia propagines, nervuli, trunci accedunt ab octavo pari, rationis, & equilibraminis participe.

Plura recenſere poſſem argumenta, iis comparanda, quæ acris ingenii Vir SCHREIBERUS ſedulò excogitavit, commendante BOERAWIO, & Leidenſi tunc temporis plaudente ſcholâ (HALLER , BERCKELMANN); Hæc tamèn brevitate conſultâ, ſilentio prætermittere eo lubertiùs duco, quùm adeò facillimè conſtant *Monroana* Nevrologiâ, inter cæteras naturæ magis conſonâ.

Memoratis verò, ex Analogia quis non videt neceſſariò addendas Tubuloſas plantas nodis conſolidari, famulari, erigi, irrigari plurimis (DEJUSSIEU MORISSON, TOURNEFORT), magnô per intervalla diſpoſitis ordine; Foliis qui ſæpius dant ortum, maximè *enſiformibus*, Acoro teſtante adulterino (*Roslagis* Swàroſgiras LINNÆUS) , & ſmilace levi minore DODONEI (Swecis Akerwinda FLOR. SVECICA); Quaſi Clariſſimo obſervante SPALANZANI, inferiores nodi baſi conficiendæ inſervientes robore donantur majori, minuſque intèr ſe diſtant, firmitatem ulteriorem conciliaturi, ſuctionemque altiorem facilitaturi, (NISOLE , VAILLANTIUS , KNAUT).

In hoc paritèr convenit medullaris, pellucidæque funis diſpoſitio, fabrica, levi diſtincta candore, à magnis obſervata viris RAJ, JONSTON, KLEIN, BONNET ſub ventriculo inſidentis aquaticorum Millepedum, Poliporum, Tæniarum, & Lumbricorum, inque *Teniæ* ſpecie conſpicuioris *oſculis marginalibus oppoſitis* (ACTA STOCKOLMIENS. 1747., DICTIONAIRE DES ANIMAUX, EMSKONIG , VAN-DOEVEREN), ac in illa Hirudinis ſpecie, quam *Teretem extremitatibus dilatatis, ore, caudaque ampla* preclarè diſtinguit meritiſſimus FRISCH ; Ex quo porrò funiculo innumeris diſperſo, ornatoque pulpoſis nodis ſexcentum emergunt viſu pulcherrima filamenta alba multiplicia in *Hydra Corpore*

Cy-

Cylindrico (DE REAUMUR, BÆCK, TREMBLEY, DE GEER), quæ Cor Ventriculum, Vasculaque omnia mirò nectunt, firmant artificio; Eoque ut nemo non fatebitur, Cor partem esse Ventriculi, Ventriculum Vasorum congeriem, vasa tandem Cordis appendices, ubique totum, partesque sub eadem pendentia memoratos ducere nodos, tali ab imperio tàm vitam pendere testaturos in hoc animalium genere, tàm sympatiæ species vel in humanis partibus frequentissimè contingentes, quando stimulatâ, vel dolente parte unâ, in contractionem agitur, vel convulsione percellitur pars altera, longè distans (ASTRUC, FITZ-MAURICE), undè emergit illud HYPPOCRATIS, *confluxio una*, *conspiratio una*, *consentientia omnia*; Quod sub *Naturæ actuosæ* nomine designatur ab eruditissimo *Kaw*.

Præter Observata Lancisiana, & Lamuriana (MEMOIR. DEL ACCADEM DES SCIENC. 1769.) eaque, quæ a miris Colicæ Pictonum Moraviæ, Austriæ, Franconiæ familiaris, phænomenis sponte fluunt, (PETIOT, HUXAM, JAMES, DE HAEEN), usquequò tradita, sacro fateor tegi a natura involucro, nisi machinâ utentes electrica quidquam demonstrarent simile Gangliorum juribus in humano Corpore, quoties in appensæ Catenæ, aut adiacentis tubi ignivomi tractu novas, curiositatis gratiâ, disponunt globulorum actiones, & comunicationes, scintillarum vivacitatem, sonum, & colorem mutaturas, juxta videlicet viciniorum appositionem, indolem, consistentiam, distantias, nuperrimis id docertibus experimentis Clarissimorum Lutetiæ Parisiorum COMUS, D' ARCET, ROVELLE, adamantis pulvere alkolizato tentatis.

Vix ac nevix quidem ergò obest recensito actionem simpatico consensui inter partes executuro, quæ nervos accipiunt a Conjugationibus origine, situ, distributione omninò diversis (GALENIUS, WILLIS, EUSTACHIUS, MONRÒO), quod vel ipse oculatissimus observavit RUISCHIUS in Ciliaribus, in Pathetico, in Intercostali, in Auditorijs, tandem in Supernumerario in Capitis basi interiore a latere dextro nervi Paris Vagi emergente; Ganglia quippè potius Contemplanda sunt in tractu, & origine filorum nervosorum dispersa, invicem coeuntes nervos complectentia, fluxum, refluxumque promptissimè, distinctissimè stimulantia, promoventia, incurrentis electricitatis Ænimalis variantia impetum, quô, aquarum fluminis positis obstaculis in cursu variantium exemplo, crescit, decrescitque energia in ratione velocitatum quadratarum, adeoque ut altitudines, ad quas motu sursùm con-